ΔΩΔΕΚΑΣ QUÆSTIONUM MEDICO-PHYSIOLOGICARUM,

Auxiliante Cœlesti Archiatrô,

Sub Præsidio


DN. LAURENTII STRAUSII,
Med. Doctoris, hujusque & Physic. Profess. Ordinarii,

Dni. Fautoris, Præceptoris, atque Hospitis honorandi,


Placidæ ἰατροσοφούντων censuræ submittit

JOHANN-GEORGIUS BECHT,
Heilbronnensis.

Ad diem Septembr. horis locóq; consuetis.



GIESSÆ,
Typis Viduæ Kargeri, Acad. Typogr. Ordin.
ANNO M.DC.LXXVII.





Q. D. B. V.



INter eas Medicinæ partes, quæ ad sufficientẽ, tùm *Subjecti*, tum *Finis* istius cognitionem necessariæ sunt, & hinc nõ ineptè prægredientes appellantur, ea, quæ, quòd naturalem Humani Corporis statum consideret, φυσιολογικὴ dici suevit, agmen meritò ducit: cùm rectum sit regula sinistri, suiq; & obliqui judex, autore *Philosophô* l. 1. *de anim.* tx. 85. Medicumq;, ceu benè monet *Galen. lib. de Ossib. sub init.* prius id, quod secundùm naturam est, quàm quod contrà naturam, cognoscere oporteat. Quandoquidem verò circa hanc ipsam Partem plerique, οἶσί μέλει τὲ, καὶ ἐν οἷς μέλει, diversimodè occupantur, suâque in exasciandâ opinione singuli magnâ vi brachia tollunt, *Quæstiones* quasdam *Physico-Medicas* insigniores tantô ex penu seligere, & sub incudem revocare placuit; non quòd contentiosus esse cupiam, qui genius χαρισάλος Artis nostræ studio minimè convenit, sed quòd in amicabili conflictu fieri posse sperem, ut veritatis, cui unice studendum reor, igniculi atque scintillæ, collisis inter se argumentorum qs. silicibus, tantò facilius eliciantur, victusq; juxta ac victor habeant, de quo sibi gratulentur, idque generis bella, *concors ipsa Quies, qualia, paxq; fovent*, non tàm abhorreant, quàm potiùs exoptent. Sit igitur, ἀγαθῆ τύχῃ!

Q. I. An Physiologia vulgaris inter præcurrentes Medicinæ partes ministras referenda sit?

PHysiologia vulgaris h. l. nobis audit ea, quæ in recensendis *Elementis, Temperamentis, Partibus, Humoribus, Spiritibus, Faculta-*

cultæ

cultatibus, atq; *Actionibus* tàm prolixa eſt, ut nihil aliud agere videatur: dumq; res haſce Phyſiologiæ Medicæ objectum conſtituit, τρόπον τῆς παιδείας non parum confundit. Quò etiam reducendos puto, qui in demonſtrandis atque expoliendis tum *Carteſianæ*, tùm *Hermeticæ* hypotheſeos principiis adeò ſudant, ut amplius, quô verſentur in forô, etiamſi Ars ipſa aurem vellicat, mentem ſubire haut poſſit. Hos tales oportet eorum refricare memoriam, quæ notanter ediſſerit *Galenus*, ad *Thraſybul.* ita ſcribens: τὰ οἰκεῖα τῶν τεχνῶν ἑκάστοις θεωρήματα τὸ τέλος ὁρίζει καὶ κρίνει. Neque eſt, ut Philoſophiæ naturalis cum Medicinâ nexum nobis quis objiciat, & ſummam hinc utilitatem redundare urgeat; ſit enim ita, quod nemo facilè negaverit, niſi πολυθρύλλητον illud: *Ubi deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus*! planè ignoret, attamen tantum abeſt, ut tum nexus iſte, tùm illa, quam deprædicant, utilitas proprietatem terminorum tollat, ut potiùs, ſuum cuiq; tribuendum eſſe, innuat, immò inculcet. Eccur enim *deſinere* dicitur *Phyſicus*, ubi Medicus incipit, niſi quòd diverſus utrobique conſiderandi modus obſervari, omnisque adeò ἀταξία, quæ proculdubiô maxima docentium diſcentiumq; eſt pernicies, præcaveri debeat? Conſiderat utique Medicus etiam *Res Naturales*, verùm non quà tales; admittit eas ad forum ſuum tanquam Phyſiologiæ Medicæ fundamentum, antea ex Phyſicis cognitum atque perceptum; minimè verò tanquam illius *objectū*, in quô τὸ κατὰ φύσιν καὶ τὸ παρὰ φύσιν utramque paginam implet, id quod nervosè docet *Brun. Dogmat. Medic. General.* pag. 14. ſeq. & jam dudum etiam primus oſtendit *Hippocrates*, dum (monente *Celsô* in *præfat. lib.* 1.) Medicinam pro parte Philoſophiæ anteà habitam, aut cum Philoſophiâ in unum coagulum quaſi redactam, ab eadem prudenter ſeparavit, & utramque diſcendam quidem, diſtinctè tamen tradendam docuit.

Q. II. An Sanitas rectè definiatur per Διάθεσιν κατὰ φύσιν?

In deſcribendâ Sanitatis naturâ, legitimoque iſtius genere conſtituendo plurimùm laborare ubiq; autores, vel leviter illorum monumenta inſpicienti patet; ſunt, quibus Sanitas nil niſi *Harmonia*; ſunt, quibus *Relatio* mera videtur; hic per *potenti-*

am,

am, ille *per qualitatem*, iste deniq; per Διάθεσιν κατὰ φύσιν definiendam ducunt. Et quis omnes id generis tricas recenseat? Cùm autem homines tum se sanos esse, & non ægrotare existiment, quando partium corporis ministeriô naturales & vitæ necessarias actiones sine vitio, vel impedimentô aliquô obire valent, haut adeò obscurum esse posse videtur, in quonam formalis sanitatis ratio consistat; quandoquidem, ut recte *Galenus l. de diff. morbor.* statuit, ἐ τὸ ἐνεργεῖν ἐςὶ τὸ ὑγιαίνειν, ἀλλὰ τὸ δύνασθαι. Ex quô fluit, minimè errare illos, qui sanitatis naturam per δύναμιν φυσικὴν (quam etiam ipse *Aristot. in Categor.* καθ' ἣν ὑγιεινὺς λέγομεν, esse docet,) nobis definiunt. Quando autem hæc ipsa corporis naturalis actiones exercendi potentia τὴν διάθεσιν κατὰ φύσιν, tanquam causam actionum proximam atq; immediatam agnoscit, cùm autore etiam ipsô *Galenô* c. l. agendi facultas â naturali organorum constitutione dependeat, sequitur sanè in definitione sanitatis completâ (qualem etiam *Sennertianam* censeo) hujus dispositionis sive constitutionis mentionē omitti minimè posse. Quinimo etiā cum laudato *Pergameno* causalē illi, quæ formalis dici amat, sanitatis definitionē quandoq; præferre, tantò minùs dubitamus, quantò magis Medici actionibus sæpiùs jam dicta διαθεσις κατὰ φύσιν ἐνεργείας ποιητικὴ subjecta est. Quibus ita perpensis, haut difficile erit, respondere illis, qui sanitatē nil nisi συμμετρίαν, vel *Relationem*, vel *Qualitatem* esse contendunt, quamvis enim aliquam omninò sanitati ἁρμονίαν atque moderationem inesse, ultrò cum *Galeno, l. de diff. morbor. sub init.* largimur, hinc tamen τῆς ὑγιείας essentiam minimè exhauriri, aut sufficienter enucleari posse, res ipsa loquitur, cùm longè aliud sit τὸ *dicere* sanitatis, aliud v. τὸ *esse* illius, quæ cùm pleraque ferè usum transcendant Medicum, ne in ζητήσεσι λογικαῖς (prout tales quæstiones à *Galeno 3. loc. aff.* c. 1. vocantur) tempus terere videar, verbum non amplius addam. (*onfer. Linden. Meletem. Med. p. 56.*)

Q. III. Quodnam sit subjectum Sanitatis?

Cùm sanitas non tantùm materialis, sed & accidentaria forma sit, h. e. non solùm secundùm essentiam pariter ac existen-

tiam à materiâ pendeat, verùm etiam per modum adjacentis, non simpliciter accidentis, sese habeat, in istius definitione utiq; etiam subjecti meminisse oportet. Notanter dico: *non simpliciter accidentis*, Quamvis enim Sanitas tum propter subjecti fluxilitatem, tum varietatem alimentorum, (quorum utrumque ut occasionem arti dedit, ita cottidiè negotium facessit artifici) maximè sit variabilis, tamen, veluti adjunctum essentiale se habet, atque inseparabilis est, saltem ex totô: siquidem sine hoc corpus nec vivens est, neque esse potest: adeò ut etiam in ægrotantibus, ubi ineruditа plebecula jam omnia νοσερὰ judicat, sanitatis omninò aliquid superesse ἰατρὸς φιλόσοφος qs. oculis cernat. Quibus præmissis, de re ipsâ nunc acturus, Sanitatis subjectum qualenam sit? roganti: respondeo, Esse corpus, non quidem *naturale*; ecquid enim arti utile habet scientia corporis (verba sunt *Linden*. d. l.) ex elementis non rarò fictitiis constituti? neque *animale*, nisi quatenus structurâ & usu convenit cum nostro, & ubi id multa in se vivo præbet sectione exploranda, quæ scire aliter non licet; Verùm *humanum*, utpote quod, ut alibi ostendimus, amore & cura nostrâ καθ' ἐξοχὴν dignum est. Humanum itaque corpus est quod, tanquam subjectum sanitatis, hic considerandum habemus, & quod nobis illam *Hippocratis* οὐλομελίην, h. e. totius corporis conflatã ex membris compaginem suppeditat: hinc licet, quà totum, nostræ primariò subjiciatur contemplationi, tamẽ ejus non negligenda est conditio & natura, quâ si vel unica vacillet insignior particula cõponens, vitiũ contrahit, ut homo καθ' ὅλον non modò, verùm etiam secundũ hanc vel illam partem ὅλος ægrotare deprehendatur. Immo verò, si *Willisium* audimus, totum hocce ad ipsam quoque animã, si non ipsam Rationalem, vitalem tamen atque sensitivam, quam, præter Rationalem, homini inesse distinctam, tum autoritate, tum rationibus haut paucis conatur ostendere) sese extendit, ac sicuti totius Artis Medicæ, ita quoque Sanitatis subjectum existit. Cæterùm, dum corpus humanum, hujusque partes, pro subjecto Sanitatis agnoscimus, restat, ut quâ sub ratione id velimus dictum, subjungamus, adeoque τρόπον ἐπιστήμης exprimamus. Est vero is, quod H. corpus non consideretur tantùm secundùm suam soliditatem, sed etiam secundum vitalitatem; Neque

que enim partibus tantummodò solidis, quà talibus, verùm etiã, quà viventibus, potentia & aptitudo illa agendi, (in quâ Sanitatis naturam sitam esse, alibi ostensum fuit,) tribui potest. Unde ipsemet *Sennertus l.1. Inst. Med.c.3. Cum actiones*, inquit, *tantum partibus viventibus competant, ipsa quoq; Sanitas seu agendi potentia tantùm viventibus partibus attribui potest.* Et queî aliter sentiri, judicarique queat, nisi quis fortè partes etiam emortuas hominis pro Sanitatis subjecto venditari velit?

Q. IV. An etiam Humores & Spiritus sint subjectum Sanitatis?

Consectarium hoc etsi ex modò dictis vel sponte fluat, placuit tamen, ut dilucidius res pateret, peculiari id quæstione resolvere. Nota autem est solennis partium H.C. divisio, quâ juxta *Hippocr.* l.6. *Epid.* sect. 8. in τὰ ἴσχοντα, ἢ ὁρμῶντα, ἢ ἐνισχόμενα σώματα, h.e. uti *Galenus*, fidelissimus *Coi* hyperaspistes, explicat, in *partes solidas*, *spiritus*, atque *humores* dispescuntur: has inter cùm triplex ista accidentalis partium dispositio, per quam dicta δύναμις φυσικὴ τῆς ἐνεργείας ποιητικὴ in actum deducitur, in solidis, quæ vocantur, partibus sensibilior, atque evidentior occurrat, usus in Medicorum Scholis jam olim obtinuit, ut *Solida* κατὰ προστασίαν partes corporis viventes, & consequenter Sanitatis subjectum magis adæquatum definirentur. Quodsi commodè explicetur sicuti nihil absurdi infert, ita nostræ assertioni neutiquam contrariatur. Et queî posset? quandoquidem, ut modò innui, non emortuas hominis hîc contemplamur partes, dum subjectum sanitatis constitutum imus. Tales a. profectò forent, si ipsis non dicam τὰ ἐνισχόμενα τὰ ὑγρὰ, sed quæ in hisce maximam partem nidulantur, τὰ ὁρμῶντα auferre vellemus. Id quod vidit etiam *Fernelius*, utut solidarum partium partes strenuè agens, dum *l.1 Patholog.3. Partem corporis dici*, scribit, *quæ ex solidâ & carniformi, atq;*, ex innatô spiritu, in quo nativus calor inest & facultas, *constituitur*; Patet igitur, quàm non liceat, in constituendo Sanitatis subjecto spirituum oblivisci, quippe qui, præterquam quod triplicem illam, (de quâ superius,) διάθεσιν, cum

humo-

humoribꝰ & *ſolidis* fere cōmunem habent(quæ vel ſola ratio ſufficeret)præcipuum in vitæ officiis ſibi munus vendicant, dū ἐνορμώντων τὰ πνεῦματα πάντῃ ἐξικνεῖται τοῦ σώματος ἐν ἀκαρεῖ χρόνῳ ῥαδίως τε καὶ ἀκωλύτως, ut in Hippocr. doctrinam *Galen. l. de tremor. & palpitat.* c.5. commentatur. Quò etiam indubiè reſpexerunt, quicunque *ſpiritibus* primum inter partes locum, cum *Velthuſio* tr. *de Liene,p.*1. aſſignârunt, vel novam iſtorum Medicinam (quod præ aliis curiosè peregit *Wirdigius*) nobis dederunt: longè ſanè præferendi illis, qui cum *Backiol de mot. Cord. c.* 2. & aliis, horum in nobis exiſtentiam in dubium vocarunt non modò, verùm etiam plane negârunt, quibus tamen, præter laudatos autores, etiam *Deuſingius Exercit. de ſpirit.* §. 43. *ſeq.* & *Schenkius,in Schol.part.ſ.*1 *p.*1. *c.*2. ex aſſe ſatisfecerunt. Cæterùm, ut ad ſemitam redeamus, non arbitramur, movere nos debere illorum objectionem, qui ſanguinem & ſpiritus cauſſæ efficientis vicem potius ſuſtinere, hincque à Medicis ὁμοθυμαδὸν tùm Sanitatis tum Morborum cauſis accenſerj; adeòque pro ſanitatis ſubjecto venditari, absque inſigni ἀταξίας errore, minimè poſſe contendunt: tantùm enim abeſt, ut talis metus metuendus ſit, ut potius diſtincta conſideratio omnem omninò tollat. Aliud ſiquidem eſt, contemplari ſanguinem & Spiritus in ſe & ſuâ naturâ, aliud vero utrumque conſiderare, quatenus ſolidis appropriantur partibus; priori modô cauſæ efficientis vicem gerere, lubenter largimur, poſteriori vero ratione ad ſubjectum pertinere, hactenus allata evidenter convincunt, ut lite ſic diremtâ nullus amplius ſupereſſe ſcrupulus videatur.

Q. V. Quænam ſit natura vel eſſentia τῶν ἐνορμώντων, ſeu Spirituum?

In corpore humanô, uti & aliis viventibus naturalibus, movens aliquod naturale ſecundarium neceſſariū eſſe, *in anteced. Quæſt.* brevitati ſtudentes præſuppoſuimus, præſertim cum res ipſa ſatis clarè nobiſcum loquatur, & alioquin omnia hodieque, etiam quæ ordinariô naturæ curſu fiunt, ſupernaturaliter contingere, aſſerendum ſit, ſingulisque momentis miracula à Deo elicere

elicere cogamur, quod velle etiam *Rebault. in Physic. P.* 1. *C.* 10. videtur. Cujusnam verò naturæ atque essentiæ illud *impetum faciens* sit, nunc, discendi gratiâ, breviter dispicere lubet. Diversis videmus uti appellationibus, quoscunq; hoc argumentum defatigavit. Alii namque *Calidum nativum*, alii *Spiritum*, *Flammam vitalem alii*, prout cuilibet hic l. ille respectus arridet, nuncupare amant: neque mirum, cùm quò quid simplicius, eò sensibus cognitu difficilius esse sueverit. In hoc tamen plerique ferè tàm recentiores, quàm veteres conveniunt, Movens illud, quod analogicè à Medicis, propter summam subtilitatem atque mobilitatem, ùtplurimùm *spiritus* vocatur, & à quibusdam duplex, ab aliis triplex asseritur, materiam communem, portiones nimirum sanguinis volatiles atque subtiliores agnoscere. Chymici, cùm particulas salinas, & oleosas seu sulphureas, (non quidem crassiores illas, sed in hisce latentes, insipidas & seminales) omnium esse subtilissimas & maximè activas esse deprehendant, arbitrantur, illos intra nos corporum motores (quos jam olim *omnia semper movere* docuit l. 1. *de vict. rat. Hippocrates*, & per se mobiles, semperque mobiles *Galenus* agnovit) ejusdem cum dictis esse naturæ, & magis duntaxat subtiles censuêre, adeoque nonnulli hosce spiritus per particulas mixti viventis cujuscunq; subtilissimas salinas & sulphureas, sub debitâ ac non interruptâ contiguitate ac quantitate, potentiâ motivâ & operativâ, secundùm corporis, quod incolunt, proprietatem & organisationem à Deo instructas, definiverunt. Quæ quidem quoniam non planè improbabiliter dici, plurimis tùm ratiociniis, tùm experimentis assertores probant, permittendum utique ducimus, ut suam, quam de his habent, sententiã utpote pro fine introducendo artis satis accommodatam, proponant, eâdemque liberè utantur. Interim uti hic modus in rebus est, ita medium tenuêre beati. Nimis alioquin sapit *Narcissi* in fontis speculo se redamantis genium, si non similib utentes terminis, sed suô rem proponentes modô, statim pro Miso-Chymicis, nescio quid somniantibus, habeamus; cùm tamen ipsi assertores fateri cogantur, principia sua, si non materialiter, saltem formaliter pyrotechnica producta esse. Ut jam alia multa, Chymicis non ignota, sileamus. Quodv., de Dirigente (quod spirituũ varias operationes ordinare,

re supponunt, & Ideã vocant) à variis proponi variè solet, neq; cõsuetudini neq; organisationi adscribendum, quin potius in ipsâ animâ, quæ principalis suarum actionũ causa est, quærendũ ducimus; equidem neque vim consuetudinis, neque organisationis necessitatem, usumq; ignoramus, remotius tamen adhuc utrumque est, quàm ut idealem nobis instinctum proximè sistere valeat. Verùm ne nimis ab Ideâ hac miris involutâ tricis, ad forum Physicum abrepti, eorum, quæ in *primâ Quæstione* monuimus, parùm recordari videamur, ad alia nos conferimus.

Q. VI. Quænam sit causa Sanitatis.

Quid h.l. respondendum veniat, facilè liquebit, si, quæ superius *Quæst.*2. allata sunt, in mentẽ quis revocare voluerit. Paucis ut me absolvam; dico esse τὴν εὐδιάθεσιν τοῦ σώματος, vel, si mavis, constitutionem corporis humani, hujusque partium naturalem: quandoquidem, uti *Lindenio* videtur, constitutionis vox efficientis naturam, imò ipsam Naturam magis exprimit; dispositio v. finem, s. Functionem. Dispositio enim subjecti modum, quô sit Natnræ accommodatum ad certam operationem, dicit. Quô ipsô patet, sermonem jam nobis esse, non de causa sanitatis formali, nec finali, sed solùm de Efficiente, quam etiam Medico sufficere, tùm aliquoties docuit *Galenus*, eam cum *Platone* ἁπλῶς αἴτιον appellans, tùm etiam ipsemet Artis usus confirmat. Hæc verò naturalis corporis ejusque partium constitutio fundatur in justâ temperie, legitimâ organisatione, & decente unitate; ne vero putes, nos ipsam sanitatis essentiam cum hujus causâ hoc pactô confundere, duco te ad ipsas jam suprà enumeratas partes, in quibus pro cujusque naturâ & geniô tria ista probè contemplari oportet, quoties humores, spiritus, partesq; solidas, pro causâ sanitatis allegare animus est. Quid? partes solidas, inquis, heic quoque mihi obtrudes? Omninò: licet enim non sint causæ propinquæ sanitatis, quà universalis est, aut quatenus in temperie laudabili consistit, possunt tamen esse, (ut loquar cum laudato *Brunone* d.l.p.59.) & reverâ sunt causæ sanitatis particularis, quoad decentem organicam structuram, aut quoad continuitatem legitimam. Cæterùm Efficientibus sani-

tatis

tatis intrinsecis præit dignitate Temperamentum, cujus nominis primum autorē fuisse *Hippocratem*, refert *Galen. Comment. ad lib. de Natur. Homin.* Et meritò quidem præit; est enim (uti suprà innui) universalius reliquis, idque propter continuam sanguinis per corpus circulationem, à quâ potissimùm dependet. Hoc sive declinante, sive destructo, animæ facultates, vel, si mavis, actiones modò labefactantur, modò planè cessant. Cave tamen putes, primas duntaxat qualitates nob. tàm arduum negotium absolvere, qui, ὐ τὸ θερμὸν εἶναι τὸ τὴν μεγάλην δύναμιν ἔχον, ἀλλὰ τὸ στρυφνὸν &c. tùm ex *Hippocrate*, tum ipsa rerum naturâ novimus. Accensenda utique huc & salsum, amarum, dulce, acerbum, & alia tùm in homine, tum extra eum, esculenta & potulenta &c. quæ si probè mixta & contemperata fuerint, Vitale temperamentum benè habet, suaque optimè munia perficit. Quod ergò heîc *Chymici* de suis principiis, horumque ἐνεργείαις; quodve *Helmontiani* de vi seminali & luminosâ, de substantiæ proprietatibus, quæ sibi invicem non contrarientur, proferunt, & in locum temperamentorum reponunt, non re, sed tantùm verbô, (ut oculatiores facilè cernunt,) à Veterum doctrinâ distant; quem etiam considerandi æquè ac edisserendi modum uti ipsis non invidemus, ita tùm demum utile dulci permistum agnoscemus, si de eorum in praxi usu satis constiterit, quo sine frustrà agitari à nobis omnia, scribique ac impendi, in Arte nostrâ res est æternæ veritatis. Quæ porrò de legitimâ organisatione, & decenti Unitate dici ad hunc scopū possent, ex superius recensitis haut difficulter colligentur: siquidē & hîc ea omnia, quæ proximè ad utramq; ἐπιβάλλον μέρος conferunt, sub causarū ratione sanitati applicanda veniunt. Nos instituti ratio ad alia vocat.

Q. VII. An inter causas sanitatis procatarcticas Astrorum influxus necessariò referendus?

Rebus *non-naturalibus*, (quæ aliâs *procatarctica* sanitatis, sive *occasionales* vocantur & ratione usûs vel abusûs, qui in hominis voluntate consistit, ἀδιάφορα καὶ μέσα haut incommodè dici queunt) æquè indigent Sani, quàm Ægri: Unde harum doctrina, quoad naturam, proprias differentias, ac vires non

minùs hîc, ac in pathologicis, quamvis dispari ratione, locum meretur. Inter has autem *Aërem* ζωοφόρον, ad sustentandam βιολυχνίου flammulam in cordis sacrario perenniter micantem, maximè necessarium, primas tenere, etiam Med. Tyronibus notissimum est. Hujus occassione propositæ quæstionis mentionem facere juxta ac examen instituere placet. Ubi quidem statim in limine affirmativæ videtur subscribendum, quod manifesta experientiæ fides, uti siderum in hæc inferiora influxum cottidiè confirmat, ita quoque, benignior si fuerit, Sanitatis vigorem plurimùm promovere, innumeris exemplis testetur. Quæ res non solum movit *Galenum*, ut 3. *de dieb. Critic. c.* 2, ita scriberet: πάντων τῶν ἄνωθεν ἄςρων ἀπολαύομεν τῆς δυνάμεως, sed etiam, diu ante hunc, ipsi *Hippocrati* quasi in manum dictavit hanc (*in l. de Aer. loc.* & *aq.* extantem) sententiã; οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεσθαι ἀςρονομίην ἐς ἰητρικὴν, ἀλλὰ πάνυ πλεῖστον. Verùm enimvero non hoc agimus, ut vel superiorum in hæc sublunaria influxum, hujusque in humanum quoque corpus vires planè negare, vel Astronomiæ aut etiam omnem Astrologiæ judiciariæ in Medicinâ usum improbare velimus, hoc enim utique nil aliud foret quàm experientiæ contradicere, ac σὺν τῷ κυνὶ καὶ τὸν ἱμάντα: quin potius hæc nobis mens est, etiam his ita concessis, non tamen prorsus necessum esse, ut procatarcticarum Sanitatis causarum numerum propterea augeamus, quandoquidem 1. hæc de influxu Astrorum consideratio ad physicas contemplationes propriè pertinet, adeòque Artis Medicæ limites prorsus excedit. 2. si vel maximè harum rerum applicationem ad artis usum admittamus, in vanum tamen laboraverit Medicus, quoties hanc causam vel corrigere, vel mutare, vel conservare voluerit, cum verissimum hîc evadat illud *Socratis* dictum: τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς! quòd nihil tale in Medici artificis potestate situm sit. Adde quòd 3. quatenus aër per astrorum Blas (ut *Helmont. Tr. Astra necessitant &c.* & *alibi* loqui amat) varie movetur, non minùs ac ipsa *Temporum varietas*, implicitè jam sub *Aëre* comprehendatur, ut peculiari auctario, ceu dictum, haut sit opus. Cœterùm non improbare non possum Astrologiam illã judiciariam vulgarem, quæ tantum abest ut physicis principiis, eruditè

ab

ab Abd. *Trevv.* ostensis respondeat, ut potius vanis ac superstitiosis hypothesibus suis innixa, se prudentioribus deridendam, & salso epigramate ap. *Barclai. Argenid. lib.* 2. perstringendam; Medico autem cordato inutilem & Christiano omni maximè indignam, atque detestandam præbeat. Conf. *Grembs. Arbor. hom. integr. & ruinos. l.* 1. *c.* 7.

Q. VIII. An ad Causas Sanitatis procatarcticas etiam Medicamenta & operationes Chirurgicæ pertineant?

Notus est *Coi aphorism.* 37. *s.* 2. Ubi: *Qui bene valent corpore*, inquit, *difficulter ferunt medicationes.* Quô ipsô, præter *res non naturales* usu receptas, alia quædam assignatur ab *Hippocrate*, non admodum infrequens: quandoquidẽ multos intempestivo pharmacorum usu in morbos incidisse, experieutiæ fide constat. Movit hæc contemplatiò *Rolfinck.* & *Blasiũ*, ut *Medicamenta* quoq; causarum *procatarcticarum* catalogo inseruerint; quos etiam imitatus *Bruno* d. l. non solum *Medicamenta*, sed & *operationes chirurgicas* eò retulit, idemque, vi & lege ἀντικειμένων, in parte Physiologicâ observavit. Equidem cùm *Medicamenta*, atque *Chirurgicæ operationes* communiter non solùm inter præsidia θεραπευτικὰ recenseri soleant, sed etiam suâ id naturâ innuere, atque intendere videantur; ἀπροσδιονύσως huc transferri, ubi Medicatione parum opus est, non sine ratione quis dixerit. Queî enim vel Medicamenta, quorum omnis in alterando ἐνέργεια absolvitur, τῦ αὐξητικῦ τῆς ὀυσίας, (præterquod nihil videtur desiderare sanitas, hujusque conservatio) vicem sustineat? & ferrô cur utaris, ubi nullus adest metus, ne pars sincera trahatur? Næ! in mediâ pace hoc foret bellum ciere, et irritare crabrones, ubi supersedere possis. Accedit, quod quoties talia quis adhibuerit βοηθήματα, Therapeutæ potius, quàm Conservatoris officiũ implevisse à plerisque judicetur. Verùm enim verò licet hæc non ineptè dicantur, tamen, si exactius rem ponderes, nihil ibi, quod nos feriat, in venies

nies. Quod ut magis pateat, distinguendum ducimus 1. inter res non naturales ἁπλῶς necessarias, & inter eas, quæ tales sunt κατά τι: 2. Inter sanitatem omnibus numeris absolutam, & inter εὐεξίαν plethoricam corporis summam, tum etiam sanitatem in latitudine sua consideratam. Ad prius quod attinet, referimus Medicamenta, & operationes Chirurgicas non inter simpliciter necessarias, sed secundùm quid tales; Neq; etiam, quoad posterius, optimæ sanitati hæc præsidia adsignamus, sed periculosæ potius εὐεξίᾳ & athletico corporis habitui, tùm etiam fragili & ancipiti, adeoque sub latitudine comprehensæ sanitati. Hâc præditi sanê, nisi maturè congruo Medicamentorum aut Venæ sectionis, aliorumvè præsidiorum usu sibi prospexerint, non nisi ὀλιγοχρόνιον, immo sæpè ἐπίκαιρον sibi polliceri sanitatem queunt. Accedit, quòd cũ dicta præsidia, ratione usus & abusûs ἀδιάφορα dici non minus, ac reliquæ res non naturales, possint, eodem cum illis quoque jure gaudere debeant. Notanter dico: *ratione usus* & *abusûs*; Quod n. nonnulli nimiô aloës e.g. usu in morbos fuerint conjecti, iniquè propterea apud Cardanum vapulat *Galenus*, aloen stomacho amicissimam profatus; quando certum est, ab hisce præsidiis καιρῶς usurpatis, uti morbi præsentes egregiè tolluntur, ita quo que imminentium pericula tutò averti, & optatam προφύλαξιν obtineri, sicque, quod proverbio dici solet, tela prævisa minus nocere. Quod profectò tantum abest, ut ad τὸ θεραπεῦσαι pertineat, ut potius ipse scopus finisque contrarium ostendat. Nisi fortè quis objicere velit, etiam in *Sanitatis negotio Gigantibus*, Spiritibus putà, suas *ærumnas* esse; quod ingeniosum παράδοξον, immò ἔνδοξον, assertioni nostræ, ut ut nobiscum pugnare videatur, minimè tamen contradicit.

Q. IX. An declaratio modi, quò Sanitas in C. H. generatur, Physiologiæ Medicæ inserenda, ibique explanatius proponenda sit?

Multa passim apud *Institutionistas* (ut vocantur ab *Hoffmanno*) occu-

occurrere, quæ non tàm ad artis usum faciant, quàm inutilem sapiant ἀκριβολογίαν & otiosas, καὶ μοχθηρὰς δόξας, uti *Galenus* 7.*m.m.*3. loquitur, adeò verum est, ut hospitem planè in his esse oporteat rebus, qui ignoret. Num verò & *Modi Generationis Sanitatis declaratio*, quam quæstio tangit, eò referri debeat? inquisitione dignum duxi, cum utrinque rationes militare haut ficulneæ videantur. Et quidem superfluum hoc esse negotium ipsa causarum Sanitatis enumeratio atque expositio arguit, quodsi enim quis harum omnium naturam cognitam habuerit, agendi modum, & quô se invicem ordine in operationibus singulæ insequantur, vix poterit ignorare. Nonne enim causa e.gr. proxima, quasi digito ostendit, se esse, quæ proximè prosit, aut obsit? & sic in cœteris. Qnid opus docere, quomodo spiritus & humores in corpus ejusque partes agant? quis in singulis ordo observetur? quæ denique ratio causandi sit, quâ res nonnaturales, ceu causæ remotæ, spiritus atque humores afficiant? quando hæc omnia eum, qui didicit rerum cognoscere causas, latere non possunt. Adde quod apud paucos hæc inserta declaratio inveniatur scriptores, ubi nullã aliam facilè causam videas, quàm quod actum agere noluerint. Verùm enimverò cùm aliud sit, scribere eruditis, & jam in arte exercitatis; aliud autem erudire tyrones, qui noviter nomen dederunt νόμῳ ἰητρικῷ, utique haut debet dici otiosum, vel superfluum, quicquid in solidiorem εἰσαγομένων informationem, Artisque magis fundamentalem cognitionem redundat. Omninò a. redundare, res ipsa loquitur, dum n. plerarumque causarum agendi modus μᾶλλον ἐναργῶς illis exponitur, & quô ordine se excipiant, exemplis ostenditur, & continuò inculcatur, tùm demum rectè intelligere incipiunt, quid sibi velint *Hippocrates* & *Galenus*, quod ubique tàm studiosè πάντα τὰ μέτρια commendent: Videat tunc, quasi ea, quæ oculis cernuntur, τὸ μέτριον, vel uti *Galenus* etiam l. 2. *de dignot. puls. c.*4. appellat, σύμμετρον, cùm sit id, quod secundum naturam se habet, non aliter, quàm sicuti ab *Aristotele l.* 5. *Ethic.* de justitiâ docemur, explicandũ esse; sicque demum in Methodô sanitatem conservandi, quæ principalem Artis nostræ partem constituit, insignem

Medico, occasionum tantò feliciori hinc facto inventori naturæque observatori, ut & προφύλαξιν desiderantibus utilitatem affert, uti benè docet P. *Bruno* d.l.p.76. seq. cujus propterea premere vestigia voluimus, rati, ubicunque verum invenias, tuum id facere licere.

Q. X. An tractatio de Differentiis Sanitatis Accidentalibus sit necessaria?

Quid per *Differentias Sanitatis accidentales* velimus intellectum, fusiùs ut proponamus, opus non est; quando id ab iis etiã, qui nec dum Artis rudimenta deposuerunt, non penitùs ignoratur. Quis n. adeo obesæ naris sit, ut subolfacere nequeat, aliam esse sanitatem excellentem cum aliis quoque dotibus corporis stipatam, atque exornatam; aliam vero hisce carentem? Quis longam à brevi distinguere valetudine &c. nesciat? ecquem denique alia id generis attributa Sanitatis, à temporis, motûs, eventus &c. circumstantiis desumi solita vel tyronem latere queant? Hisce igitur præsuppositis, id nobis jam potissimùm curæ est, ut, num *horum* pecularis *tractatio necessaria*; nec potius, (cùm breviter discere hodieque omnes cupiant) tanquam otiosa quædã, nulliusque momenti res, omittenda sit? Omitti enim, sine necessariæ cognitionis jacturâ, posse, vel superius allata innuere videntur, cùm suapte sponte talis mentem subeat cogitatio, quæ pro circumstantiarum varietate sanitatem æstimare, talemque vel aliam pronunciare nos doceat. Accedit quod plurimi autores hanc ipsam curam planè neglexerint, quod sanè, si tanta urgeret necessitas, minimè facturos fuisse, non ineptè quis colligat. Quin ipsam denique praxin si respicias. non adeo insignem ex accuratiori hac Scholasticorum meditatione utilitatem sibi quempiam polliceri posse, in propatulo videtur. Verum enim verò quamvis neque nob. integrum sit, omnes otiosas Scholarum Medic. argutias sive approbare sive resolvere; probe tamẽ distinguendum arbitramur, inter argutias apparentes & reverà tales. Videas enim hîc sæpius peccari, & usum rei negari, priusquam res

ipsa

ipſa intellecta fuerit. Primùm itaque, cum omnis de re aliquâ tractatio ita inſtitui debeat, ut quælibet ibi occurentia membra ſibi mutuò reſpondeant, unumque alterius fundamentum ſive fulciat, ſivè illuſtret: conſtat ſanè hinc, ob mutuum, quem inter ſe φυσιολογία & παθολογία habent reſpectum, id, quod in hac, ſine methodi nævo negligi non poteſt, in illâ quoque omitti minimè debere: niſi omnem recti, quod (ut in proœmio dixi) obliqui norma eſt, curam abjicere, ipſamque adeò Methodi naturam evertere velimus. Neque propterea alios, qui id non obſervârunt, autores culpare animus eſt; quandoquidem nob. (qui in verum duntaxat inquirimus) non tàm quid alij fecerint, quàm quid agendum ſit, cordi curæque eſt. Habent n. ſcientiæ, artesq; ſua incrementa, quibus cùm Veteres anſam dederint, ingrati foret, immo ſuperciliosi animi, ſi, quæ omiſſa ſunt, oſcitantiæ adſcribere, non minùs, ac quia omiſſa ſunt, parùm neceſſaria l. utilia judicare vellem 9. Hoc enim poſterius quod attinet, ſi quis duntaxat in παθολογίαν, & ad ſtatum hominis p. n. oculos converterit; non poterit non unà videre utilitatem hujus Tractationis in ſtatu ſ. n., de quo φυσιολογίαν agere conſtat, præſertìm cùm contraria juxtà ſe poſita magis eluceſcant. Quoties enim conſervanda hominis, Petri, Pauli, &c. Sanitas eſt, niſi Medicus qualis & quanta (juxta recenſitas circumſtantias,) huic vel illi individuo ſanitas adhuc præſens ſit, vel ea, quâ anteà gaudebat, fuerit, cognitum habeat, quomodo quæſo certi quid, & quousque natura ſollicitari debeat, determinabit? Quæ res cum in praxi quotidiè occurant, quâ, quæſo, fronte quis eos arguet, qui diligentem harum conſiderationem & methodicam Tractationem urgent, juxta ac inſtituunt? nonne potius & hæc ſuum in Artis exercitio uſum egregium habere, adeòque majoris ponderis eſſe, quàm ut vel ſupponi, vel planè omitti in accuratiori theoriâ poſſint, rem rectè putans nobiſcum fateri cogetur?

Q. XI. Num, quæ de Accidentibus Sanitatis in parte Med. φυσιολογικῇ proponuntur, ſuperflua ſint?

Vereor, ne quis me eâdem oberrare chordâ heic dicat! ſed

sed ea est veritatis pulchritudo, ut vel millies conspecta, oculos mentis non fatiget, sed potius magis ad contemplandum alliciat. Quod etiam circa præsens πρόβλημα observare licet; in cujus limine notandum venit, per *Accidentia Sanitatis* intelligenda esse accidentia non sensu *Logicô*, sed *Grammatico* sumta; quæ (uti describit *Bruno d.l.*) nihil aliud sunt, quàm effecta necessaria & inseparabilia Sanitatis, eam, veluti umbra corpus, ἀδιαχωρίςως concomitantia, quæ sub triplici isto genere *Actionum* puta, *Excretorum* & *Retentorum*, & tandem *Qualitatum* comprehenduntur. Cum itaque effectus morbi in *pathologiâ* accuratè explicentur, tanquam illius objecti partem non contemnendam constituentes, næ! si nihil aliud esset, ipsa methodi ratio, & oppositorum lex, ut de Sanitatis quoque recensendis effectibus Med. Physiologica sit sollicita, satis urgere possent. Sed ipsa quoque utilitas, ut ita fiat, suadet. Quei enim de Sanitatis statu nobis constabit, nisi effectus hi de suâ causâ testantes Medicum, Sanitatis Conservatorem, instruant? Et quomodo ipsa *signorum* Sanitatis doctrina stabit, hoc neglecto fundamento? Non est distinctio hæc otiosa quædam *Recentiorum* ἀκρίβεια, ipsi jam eam, tanquam necessariam æquè ac utilem, attenderunt Veteres, quod ex *Galeno* liquere potest, quando *l. 1. m. m. 9. Quæ necessariò consequuntur dispositiones, à quibus operamur*, inquit, *sanis quidem nobis existentibus* συμβεβηκότα accidentia, *morbô vero laborantibus* συμπτώματα, quasi concasus, *appellantur*. Neque obstat, eadem quoque accidentia *causæ* rationem alibi subire, sicque cramben sæpius coctam apponi; cum ipse ordo, qui disciplinarum anima est, teste *Platone*, distinctam cujuslibet expositionem apud illos præsertim, qui adhuc introducendi sunt, requirat. Imò in ipsâ praxi (licet ibi quibusdam hæc talia, tanquam meræ subtilitates, parùm attendi perhibeantur,) adeò sui vendicant neglectum, ut methodicam Sanitatis conservationem non parum sufflaminent: id quod suo loco ostendi facillimè poterit. Cæterùm notandum h.l., ceu colophonem, adjicimus, modum considerandi sæpius jam *dicta Accidentia Sanitatis* non tàm in τῷ *naturali*, quàm potius τῷ *integro* conquiescere; unde

&

etiam singulis *integritatis* character addendus est. Ubi iterum vides discrimen inter *Physicum* & *Medicum* intercedens; *ille* enim exponit *actiones* e. g. prout sunt *motus naturales* Agentis, tendentis ad patientis assimilationem; hic vero in suâ φυσιολογίᾳ Medicâ, illas ipsas quidẽ *κινήσεις*, sed non aliter quàm secundùm suam *integritatem* vel *perfectionem*, cuique κατὰ φύσιν convenientem, curæ sibi esse docet. Quò de alibi jam actum est.

Q. XII. An Ordo, quô Accidentia Sanitatis enumerari solent, sit indubitatæ veritatis?

In *praecd. Quæst.* commemoravi, triplicia esse *Sanitatis Accidentia*, eaque sic enumeravi, ut primum locum *Actionibus*, secundum *Retentis* & *Excretis*, tertium vero *Qualitatibus* assignaverim. Qui ordo num ita comparatus sit, ut cum *Naturâ* ipsâ hujusvé indubitatâ veritate prorsus conveniat? non inutiliter quæritur. Quamvis enim hic iterum inveniri possint, qui parùm referre, quâ quodlibet sede ponatur, adeoque nodum in scirpo quæri arbitrentur, nihilominus tamen hæc suam quoque utilitatem habere ex dicendis constabit. Statuimus autem Ordinem hunc omninò à Naturâ observari, adeoque Medico docenti non solum, verùm etiam artem exercenti, si utroque benè fungi officio & illius imitator laudabilis audiri velit, non perinde esse debere. Patet siquidem ex ipsâ Sanitatis definitione, actiones integras dispositionem corporis nostri naturalem immediatè sequi; hincque etiam de ejus integritate, ex τῷ τελείῳ actionum, tanquam primariô atq; ex ipsa Sanitatis essentiâ fluente fonte, indiciũ certissimum hauriri, ut proinde, primum actionibus inter Sanitatis accidentia locum deberi, res ipsa loquatur. Jam porrò videndum, quænam ab *actionibus* naturalibus opera (tanquam illarum effectus immediati) edantur? Ubi sanè nulla alia videdere est, quam ipsa *Excreta* & *Retenta* secundùm naturã. Neq; enim *Qualitates*, (putà sensiles, & externæ, de quibus hîc nob. sermo) excreta & retenta effectivè producunt, quin potiùs vice versâ se rem habere, ipsa dictitat Naturæ ratio, & exemplis facilè pos-

 set

set illustrari. Prout enim sese habent Retenta & Excreta, ipsas etiam se habere Qualitatea non in ægris modò, sed etiam in sanis illicò advertere licet. Ex quibus sanè patet, Ordinem hunc à Naturâ ipsâ nobis commendari & indubitatæ veritatis esse; quin etiam plus ibi utilitatis, quàm subtilitatis, occurrere, sive hominis Sanitas conservanda, si restauranda veniat.

TANTUM!

Ad Pereximium Dn. *Respondentem*, συνοῖκον καὶ συσσίτον dilectissimum.

PRæcipiti plerumque solent contendere cursu,
Queîs data mens firmô nescia stare locô;
Sed tibi mens melior, BECHTI; nam ponere primum
Fundamenta placet. Næ! benè cedet opus!

Benevol. affect. gr.
συγχαίρων deproper.
PRÆSES.

HActenus en! placuit strenuo indulsisse labori,
Nocte die doctis invigilasse libris:
Jam prodis, celebrem & fortis meditaris arenã,
Palladis auspicio pulpita docta subis.
Annuat his cœptis vasti Moderator Olympi,
Palladis ut felix ampla brabea feras.

Ita gratulatur
Frid. Wolpman. Brem.